DE HYDROCELE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD LAUREAM...

Leopoldo Marchetti

DE

HYDROCELE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

ASSEQUENDAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PERLEGEBAT

LEOPOLDUS MARCHETTI

PATAVINUS

Patavii

TYPIS SEMINARII

1840.

ALL' OTTIMO CITTADINO
ALL' AMOROSO PADRE AL PIO MEDICO
D.R LORENZO MARCHETTI
CHE DA RAPIDO MORBO COLPITO
OR SON DICIANNOVE MESI A DIO VOLAVA
LASCIANDO A NOI SOLO LAGRIMEVOLE MEMORIA
IL TENVE FRVTTO DE' SVOI STVDII
A CVI EGLI ERA GVIDA
CONSACRA CON AFFETTO E RICONOSCENZA
L' AMOROSO FIGLIO
LEOPOLDO

DISCENDI, O PADRE, E CORONA TU QUESTO MIO GIORNO
DI LIETI AUSPICII.

Hydrocele est humor aqueus in scroto sedens, et formatur ab unione serosa in quocumque ex tegumentis testis, aut funiculi et vasorum spermaticorum. Hic morbus, triplici modo dividitur, scilicet hydrocele diffusa, dum in textu cellulari, qui involucra testis conjungit, serum percolat; hydrocele per effusionem, dum in tunicis istius organi colligitur, uti frequentius habetur; tandem hydrocele cystica, si nonnullae serosae collectiones in funiculo testis, aut in inveterato herniae sacco efformantur.

In hydrocele diffusa, quae nihil aliud est nisi varietas oedematis, serum occupat utrunque scroti latus, et per omnes cellulas diffunditur, quae medium tenent inter scrotum et tunicam vaginalem. Ipsa idiopathica est, aut symptomatica. Prima frequens est in neonatis et senibus, in illis oritur vel a pressura scroti in partu, vel urinali irritatione; oritur in istis a flacciditate scroti, ab urinae irritationa, tandem a confricatione inter coxas, aut inter lanea deambulantium vestimenta. Hydrocele symptomatica est effectus hydropis ascitis, aut cystici, anasarcam comitatur et universos morbos affines.

Tumor mollis, cedens, servans digitorum impressionem, per totum scrotum se extendens signat hydrocelem diffusam. Grandior factus omnes pellit rugas, ab integumentis efformatas, tenne et lucens reddit scrotum; raphe tantum conspicitur, quae illud in duas dividit partes aequales. Serositas occupat textum cellularem inter

cutem et tunicam vaginalem, adeo ut si copiosa sit, una ab altera distingui nequeat. In symptomatica tumor est pallidus, frigidus, et quasi pellucidus, in idiopathica cum ab irritatione oriatur, est rugosus, calidus et dolorem afferens. Volumen, tensio et pondus varia sunt juxta quantitatem humoris percolati.

Causas amovere, humoris secretioni favere, baecca praecipue curanda. Media quibus utendum est, sunt mundities in infantibus, suspensoria in senibus, solventia et adstringentia medicamenta, linteamina humefacta aqua calcis, alcoole, vino mero cum rosis fervefacto, vapores florum benzoes, aut aceti. Si tumor dolorem affert, aut ruborem, aut intumescentiam inflammatoriam, tunc omnibus istis praeenndum est emollientibus.

In percolationibus serosis symptomaticis incumbat chirurgus ad affectionem eas determinantem. Si scrotum valde tensum sit, humor statim est evacuandus. Praxis medica utitur scarificationibus profundis et tumoris volumini aptatis. Istis promptum succedit profluvium, sed phlogosis istorum vulnerum statim gangraenam parit tegumentorum et textus cellularis. Ob hoc vale dictum fuit scarificationibus, et punctionibus potius usa est praxis. Ad has exequendas lanceola incidenda est epidermidis et dermatis superficies, et juxta volumen hydroceles illae repetendae sunt. Oportet insuper ut una ab alia distent, et eis uti, cum tegumenta carent phlogosi erysipelacea, ad gangraenam evitandam. Punctiones pariunt evacuationem lentam, et faciliter obliterantur; hinc necessarium est eas repetere. Post earum executionem lintea sicca et

subtilia sufficiunt ad curationem, quae debent mutari, quoties serositas ea humefecerit. Praetereundum non est quod in hydrocele diffusa symptomatica, operationes chirurgicae nil adjuvant valetudinem, nec impediunt novam serositatis collectionem, quoties prima evacuata fuerit. Suspensorii usus, munditiès, applicatio linteaminum calidorum, aut aliquo solventi liquore temperatorum, satis erunt ad ulteriorem avolutionem impediendam, et ad removenda ea omnia, quae eam consequuntur.

Hydrocele per effusionem oriri potest vel in dartos, aut in tunica vaginali, aut in membrana albuginea, aut in teste ipso. Frequentior et in quam potissimum intendere debemus, est hydrocele tunicae vaginalis. Causas, a quibus oritur, enumeravimus, cum de idiopathica diffusa loquuti sumus. Saepo tamen se sa manifestat quin aliqua adsit causa occasionalis. Si tunica vaginalis relationem habet cum cavitate peritonaei, tunc hydrocele appellatur congenita; si perfecte separata est ab illa ob annuli obliteratiohem, tunc dicitur accidentalis.

Vignerie senior primus loquutus fuit de hydrocele congenita. Valde rara est haec, et modo diverso, quam in adultis, se se manifestat. Post exitum testis ab abdomine cum sua peritonaeali productione, quae in posterum vaginam testis efformat, plerumque clauditur cavitas hujus tunicae, sed non semper, et tunc serositas, quae abdomen internum humectat, in cavitatem tunicae vaginalis descendit, congeritur, et tumorem longum efformat, crassitiei variae, pellucidum, et quamdam fluctuationem ostendentem. Hic tumor expansus et tensus apparet cum puer

stat, et si jaceat, imminuitur, et in ventre se se abdit, si comprimatur. In infantibus effluvium fit in parte anteriori funiculi, et non testis, qui semper in inferiore tumoris parte invenitur. Hernia inguinalis confunditur cum hydrocele congenita; nam in istis tumoribus testia occupat eumdem locum, et hydrocela tunc praeter pelluciditatem multas opacas partes variae magnitudinis ostendit.

Usque dum infantes lactant, nilla instituetur curatio; sed serius, secundum Vignerié, postquam serositas in abdomen redire coacta fuerit, globus suspensorii regioni inguinali applicandus est, quo nova tumoris apparitio impediatur, et obliteratur canalis serosus in eo sedens, et abdominis cavitas clauditur. Si testis prope annulum sedet aut adhuc in abdomine, nulla operatio est instituenda, sed plerumque descensus organi spermatis aegregantis attendendus est, ut salubrius morbus curetur.

Hydrocele accidentalis. In adultis tunica vaginalis cavitatem efformat, sine biatu, circa partem posteriorem inferiorem, et aliquantulum in tumore natat testis. Serositas, quae evacuatur, humectat solam partes anteriores et laterales, et propter hanc humectationem pallescit, et aliquantulum augetur. Sedes assignata non semper eadem est, sed varia.

Haec affectio generat tumorem laevigatum, aequalem, mollem et fluctuantem, quin cutis mutet colorem, qui potius tenuis et mobilis manet in superficie. Oritur in extremis scroti, paullatim ad annulum inguinalem ascendit, est pyriformis, pondus ejus non mutatur, et excepta sede testis pellucidus est. Ad apte hoc phaenomenon

reperiendum oportet, ut tumor collocetur obscuro in loco, ut pellis extendatur, quae eum tegit, et candela contrariae parti admoveatur, et corpus opacum supra tumorem collocetur. Testis volumen et duritiem nunquam mutat. Prout crescit, hydrocele tunicae vaginalis pellit rugas scroti, et juxta tensionem membranae serosae fluctuatio minor ostenditur. In pluribus tumor indolens est, et pressio etiam fortis non generat sensationem. Interdum si collectio magna sit, et testis prematur, et una tendatur funiculus, oriuntur habituales dolores, et sub minima pressione exasperantur.

Hisce characteribus facillter agnoscitur hydrocele tunicae vaginalis. Sed tumor varius esse potest forma, volumine, natura humoris percolati, diverso testis statu, nec non ejus involucri, et tandem laesione, quae morbum principalem comitatur. Multum interest tamen has varietates agnoscere, ne in errorem trahamur, et ut, hydrocele perfecte cognito, efficacior curatio instituatur.

Hydrocele simplex morbus adeo gravis non est, sed notabile tumoris volumen et depravata tunicae vaginalis et testis natura, aut complicationes prognosim efficiunt non adeo faustam, cum interdum illa, aut iste, aut utrumque excidi debeat.

Duplex potest esse curatio hydroceles tunicae vaginalis, ideat aut palliativa, aut radicalis. Prima utendum est pro debilibus et valetudinariis, si praesertim tumor maximus sit. Haec curatio consistit in evacuatione hydroceles toties quoties producitur, per punctionem lanceola aut terebello triquetro praestandam. Ad hanc operatio-

nem aegrotus sedeat aut stet ante chirurgum, et vas paretur ad recipiendum humorem. Si deliquium in aegrotante timeatur, jaceat ille in dextero lecti sui latere; chirurgus tunc commode positus ante aegrotum, omnibus paratis, inferiore parte tumorem prehendat laeva, eum tendat, et dextero pollice palpana locum ubi tumor sit elasticus, ibi punctionem continuo exequatur. Sed testis alia in sede moretur. Oleo perungat terebellum triquetrum, extrema manu capulum teneat, et indice excurrat usque ad duas lineas ab extremitate caunulae, ungulam pollicis inter capulum et finem ponens, et laeva semper tendens tumorem, eum pungit ad pares angulos cum parte anteriori et sub medium. Facilis gressus, exitus alicujus guttae tumoris ingressum annuntiant. Retrahitur stilus, cannula eodem in loco manente, et prout exit humor, interius ducitur, ut ejus extremitas a tunica vaginali non exeat, et percolationi seroaae in textu cellulari faveat. Cum omnia humor per pressionea ex quaque parte factas exierit, retrahatur canuula, sed eodem tempore omnes partes, per quas transit, sustineatur. In posterum in applicatione linteaminum, aliquo solvente humefactorum, et suspensorii consistit universa curatio.

Si chirurgus terebello triquetro careat, et lanceola utendum sit, tunc magna incisio efficiatur, ut humor libere exeat. Frustulum cerati vulneri admoveatur, et in ceteris chirurgus curationis antecedentia praeceptis obtemperet.

Radicalis curatio hydrocelea post evacuationem humoris consistit in praevenienda ulterioris accumulatione in tunica vaginali. Nullus topicus adhibetur a practico. Duplex methodus adhiberi

potest ad sanationem hydroceles efficiendam; prima exciditur membrana, in qua locum habet morbus; altera determinat adhaesionem hujusce membranae testi, et sic cavitatem oblitcrat.

Excisio tunicae vaginalis antiqua operatio est. Celsus, Albucasius et Fallopius eam prohibebant, Saviard in usum revocavit, et Douglas, Louis, White et Bertrandius ea usi sunt. Ad eam exequendam, aegrotante in dextero latere lecti sui sedente, ut diximus, exciditur pellis scroti per totam tumoris extensionem, et si major sit, in parte anteriori excisio elliptica fit et valde extensa. Tegumenta dividuntur in lateribus usque ad testem, seu potius retro aguntur eadem manu, qua captus est tumor. Aperitur hinc tunica vaginalis, et libere partes exciduntur prope locum, quo testem circumvestiunt. Acta operatione, si testis translocatus fuerit, in extremo scroto reponatur, et extrema vulneris in unum coire, sutura aut cerato, cogantur, filamentis aut linteo emollienti liquore humefactis cooperiantur, et suspensorio aut fascia ad litteram T scrotum sustineatur. Hic apparatus tolli non debet, nisi post tres dies. Vasa prout secantur, ligentur, et fila ad angulum inferiorem vulneris uniantur.

Haec operatio longa est, dolorem afferens, quam etiam testis et scroti violenta inflammatio consequitur. Quamvis novam hydroceles invasionem impedire videatur, tamen Boyer eam renovatam istò in casu asserit. Practicus raro ea utitur, et chirurgi ea tantum utuntur, cum tunica vaginalis densa est, fibrosa, degenerata et cum testiculo conjungi nequit.

Celsus, Paulus Aegineta, Richter, Bell, Mon-

teggia, Bertrandius, Chelius incisionem admittunt. Haec nihil est nisi scissura scalpro facta per totam hydroceles extensionem. Aperta vix tunica vaginali humor exit, et completa evacuatione, testis externus apparet. Si sectio non sufficit, grandior forbicibus fiat. Ad curationem prosequendam circumdetur testis tenui linteo oleo humefacto, hinc cavitas filamentis impleatur, aut tantum in lateribus ejus filamenta ponantur, quae partem inflammatam irritantes, illam ad suppurationem, et cum tunica vaginali unione perducant.

Haec operatio non semper felici exitu coronatur. Interdum cum humor rursus exhalat, morbum revocat, et saepe majori volumine praeditum.

Usus potassae causticae, qua pars media anterior signatur, antiquus est, et in exitu cum incisione convenit. Gui de Chamliac et post eum plurimi alii chirurgum frustulum caustici quod crustam duorum pollicum efformet supra partem inferiorem anteriorem ponentem valde commendant. Transactis duodecim usque ad triginta sex horas post operationem, dolores in scroto, in renibus et in ventre sentiuntur, tumor fit durus et tensus, sed tegumenta eadem manent, cum tunica vaginalis sit sedes irritationis, pulsus frequentior fit, et saepe vomitus consequitur. Haec duobus aut tribus tantum diebus apparent. Crusta tandem secernitur, et si tunica vaginalis nondum aperta est, excisio levis lanceola fiat. Post exitum humoris scrotum retrahitur, et per parvam cicatricem tunica vaginalis obliteratur.

Haec methodus minorem dolorem affert, quam

praecedens, sed a violenta inflammatione aegrotum non tutatur, et ea tantum uti debet cum tumor parvum volumen praesefert, et longam in posterum curationem expostulet, et nunquam injectionibus praeferenda est. Quoad causticum actualem, quo veteres et medii aevi chirurgi utebantur, mentionem nisi currenti calamo facere statuimus, cum a praxi longum post tempus jure meritoque rejiciatur.

Inter extranea corpora solida in scrotum introducenda ad inflammationem efformandam enumerantur: setaceum quo usi sunt Gallien, Gui de Chamliac, et Pott (a): spicillum jamdudum Arabibus notum, et cui a Fabricio Aquapendente, Moinichen et Monro substituta est cannula terebelli triquetri aut alia cannula argentea; tandem cannula gummatis elastici a Larrey praedicata. Hi processus inter se magnam habent analogiam quoad applicationem, actionem et effectus.

Haec corpora heterogenea hydroceli applicata saepe saepius magnam phlogosim causantur, et hoc in casu ad antiphlogistica potentiora recurrendum est, et ut instrumentum ipsum quod valetudinem deberet afferre, retrahatur, expostulant. Enrum actio irritans interdum ad totum involucrum serosum testis non extenditur, curatio inutilis fit, et morbus saepe saepius rursus producitur.

Injectio liquoris inflammantis in cavitate hydroceles, et tunicam vaginalem conjungentis, qua utuntur Angligenae, est processus valde simplex. Alcoole, vino, solutione potassae usum

(a) Moro sanava l'idrocele con filo di metallo. Annali d'Omodei anno 1828, Vol. XLV. pag. 141.

est istis in casibus vario successu. Liquor, quo utendum est, fortis debet esse ad mediocrem inflammationem causandam, et olim communius erat vinum cum rosis effervefactum, cujus vis ab alcoole augebatur. Cum liquor iste eodem cum corpore caloris gradu praeditus fuerit, funditur in syringem, quae librae quadrantem capiat. Tumore terebello triquetro expuncto, more solito, et humore evacuato, praecipit Dupuytren, ut fiant tres sibi succedentes injectiones, et quoties fiunt, liquor tribus minutis in cavitate moretur. Plerumque tanta dicitur successus probabilitas, quanta est dolorum injectione partorum violentia. Sed experientia contrarium ostendit. Post ultimam injectionem scrotum linteaminibus vino humefactis cooperiatur, quae suspensorio firmentur.

Martin chirurgus nosocomii calcuttensis, et eodem tempore Velpeau Parisiis anno MDCCCXXXVI utilissimas esse probaverunt injectiones dimidii drachmatis ex jodii tinctura, et drachmatis cum dimidio ex aqua (*a*). Unio momento injectionis debet fieri, debet esse calens, et ad similitudinem vini injicitur.

Notaverunt illi quod injectiones jodii dolores per aliquot minuta pariunt, sed non tam graves, quam qui a vini injectione oriuntur. In plerisque aegrotantibus postridie ab injectione accceduntur symptomata febrilia, quae durant per duodecim aut vigintiquatuor horas. Pars per aliquot dies sentit, et habetur quidam torpor in coxa lateri operato respondenti. Alter effectus hujus curationis est defectio gustus in aegrotantibus longo post operationem tempore, cum po-

(*a*) Annali d'Omodei Vol. LXXVIII. pag. 556.

tius saporem cupri semper in ore sentiant, quamvis cibum non capiant. Symptomata haec plerumque levia et brevia sunt, et aegrotantes agere more solito incipiunt, etiam eodem operationis die, sed saepius secundo aut tertio. Raro evenit, ut inflammatio ad suppurationem perveniat.

Sicuti a vini, sic ab jodii injectionibus oritur percolatio secundaria, quae usque ad quartum aut sextum diem augetur. Ad hoc tempus incipit absorptio, quae raro duodecimo die perfecta est, nam hic processus a viginti usque ad viginti quinque dies durat. Absorptio promptior fit extrahendo per punctionem partem seri e percolatione secundaria. Valde rara est nova morbi invasio, et tunc pathologice aut testis, aut tunica vaginalis perturbantur.

Simplex hic processus, minor dolor quem parit, levia accidentia, quae oriuntur, facilis liquoris in varios cavitatis hydroceles anfractus penetratio, libertas qua actio illius potest moderari, et indifferens applicationis illius iteratio, si prima vice desierit, fuerunt in causa cur ab omnibus injectiones, tanquam absoluta ad valetudinem ex hoc morbo recuperandam medicina, in usum vocentur.

Hydrocele cystica locum habet plerumque in mediis vasorum spermaticorum funiculis. Antiquus herniae saccus obliteratus prope summum interdum quoque sedes ejus evadit. Sed saepius in cysti cellulari accidentali, cujus manifestatio plus minusve locata, properat moderate ad scrotum, et mediam in cavitatem descendit, et simulat perfecte hydrocelem tunicae vaginalis. Interim modus quo augetur, et testis

in inferiori parte post tumorem sedens, sed tamen ab eo distinctus, cognitionem characterum hujusce morbi non admittunt.

Quaecumque sit ejus sedes, omnibus supradictis possumus uti ad curationem hydroceles tunicae vaginalis. Sicut in ultimo morbo antefertur injectio, sic post ejus applicationem permanens in cystim pressio exerceatur, quae lateras ad contactum valeat retinere, et mutuae eorum unioni favere.

THESES DEFENDENDAE

1. Antiquorum medica praecepta neque negligenda, neque caeco impetu amplexanda.
2. Febris exanthematica absque exanthemate corpus humanum aliquando aggreditur.
3. Medicamenta nostralia pharmacis ex longinquis regionibus delatis praeferenda.
4. Helminthiasis melius organismum curando, quam vermes necando tollitur.
5. Generationis momentum tum in statum psychicum, tum in physicum nascituri influit.
6. Perturbatio testis in hydrocele antiqua non pendet a seri lubricatione.
7. In epistaxi balnea frigida ad genitalia quam maxime efficacia.
8. Corporis exercitatio ad multas infirmitates arcendas summopere confert.
9. Purgantia non solum in obstipatione, sed etiam in profluvio alvi possunt indicari.
10. Medicus interdum plus agit quiescendo, quam operando.
11. Ad individuum potius, quam ad morbum medicamen est accommodandum.
12. Ulcus et fonticuli, quibus diu consueverint humores evacuari, si cito sanantur, periculo non carent.